DE PARTIBUS ET ORGANORUM SYSTEMATIBUS IN QUIBUS MORBI CHRONICI...

Giuseppe Zuliani

DE PARTIBUS ET ORGANORUM SYSTEMATIBUS IN QUIBUS MORBI CHRONICI PRAECIPUE EFFORMANTUR

Dissertatio Inauguralis

QUAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

LAUREAM MEDICAM

RITE OBTINENDAM

PROPONIT

JOSEPH DE ZULIANI

Cadubrinus

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

1835

MATHÆO . DE . ZULIANI

PARENTI · OPTIMO

AMANTISSIMO

ATQUE

PATRUIS · BENEMERITISSIMIS

PRIMUM · HOC

STUDIORUM · MEDICORUM · SPECIMEN

DICAT

FILIUS · NEPOS · GRATISSIMUS ·

96

Sicuti non dantur morbi, qui chronici, generaliter loquendo, evadere non possint, ita non datur in corpore humano pars, quae morbis chronicis non afficiatur. Characteres, quos ipsi morbi ostendunt in variis organorum systematibus et in variis cujusque systematis partibus, sunt aliquando satis constantes, satis clari pro discrimine positivo statuendo inter species essentialiores morborum chronicorum. Morbi hujusmodi efformantur conditionibus et modificationibus relativis, quas cognoscere et determinare opus est.

Morbi chronici, ut optime observat Dumas, triplici ex causa organa et ipsorum systemata afficere possunt; nempe

1. ob dispositionem naturalem organorum ad formam chronicam producendam.

2. ob affectiones essentiales, quae primitus efformantur, et quibuscum habent organa plus minusve affinitatis aut oppositionis.

3. ob symptomata, quae ab hisce affectionibus producuntur.

I. dispositio peculiaris alicujus organi efficit ut causae etiam minimae chronicos morbos producant, atque ut omnes organorum affectiones, etsi simplices, morbi chronici characterem praeseferant. Absque dubio credo magis ad chronicismum tendere morbos organorum illorum, in quibus energia virium vitalium convenienter a cordis, vasorumque sanguineorum actione minime sustinetur. Celeberr. Boerhaave in constitutione corporis describenda hominum, in quibus reactio sanguinis parva est aut languida vel ex vasorum parvitate, vel ex inertia cordis, animadvertit homines illos saepe saepius languidos esse, debiles et infirmos; ipsos ad morbos nervosos dispositos, ad affectiones cerebri, textusque cel-

lularis, ad leucophlegmatias, ad hydropes; et pariter observat aneurismata cordis, vasorumque majorum, esse ipsorum haereditatem. Clariss. Morgagni, aliique hanc confirmant Boerhaavii observationem.

Sunt tamen morbi, qui in classi generali hujusce generis comprehendi nequeunt, uti affectiones nervosae, quae praesertim pendent ab alterata sensibilitate et contractilitate, et per quas vis cujusque organi eo major videtur, quo majores hae duae facultates sunt. Whytt bene cognovit, quod sensibilitas nimia organorum digerentium, ipsa ad peculiarem irritationem nervosam, morborum hypocondriacorum et hystericorum causam proclivia reddat. Putat ipse, nimiam hujusmodi sensibilitatem non solum multos variosque morbos in illis organis producere, verum etiam talem nervoso systemati mobilitatis excessum conciliare, ut a causis etiam minimis facillime perturbari queat.

Dispositio ad morbos chronicos in variis organorum systematibus varia est. Ipsi omnia quidem systemata afficere possunt, sed non omnia systemata aeque ab iisdem afficiuntur. Vasculare ex. gr. parum; nervosum e contra et praesertim lymphaticum valde ad id idonea videntur. Textus cellularis et membranae serosae minus; magis vero cutis et membranae mucosae ad morbos chronicos dispositae aptaeque evadunt. Haec porro dispositio varia est in diversis organis juxta eorum compositionem. Ossa, cartilagines, ligamenta, quae fere numquam morbis acutis laborant, primum tenent locum; viscera parenchimatosa abdominis, secundum. Huc quoque cedunt partes genitales, mulierum praesertim. Tertium locum tenent musculi, tendines, aponeuroses, in quibus levis admodum dispositio.

Character acutus morborum eo magis intensus sese ostendit, quo actio systematis vascularis fortior est. Morbi inflammatorii a vivo systematis vascularis in-

citamento comitati vehementia quoque phaenomenorum, eorumque rapida successione patefiunt. Morbi vero acuti tum generales, tum locales eo plus ad formam chronicam accedunt, quo magis systematis vascularis vis languet et ad illam systematis lymphatici propriam accedit.

Facile hoc probatur in febribus sequentibus considerationibus:

1. Febres continuae principium habent in corde et in vasis; systema ideo vasculare alteratur. Character acutus idcirco inseparabilis ab istis febribus videtur; hae febres nullam habent intermissionem, quia functio systematis quod occupant, numquam intermittit.

2. Febres remittentes occupant tum nervosum, tum vasculare systema, sed affectiones horum duorum systematum ita junguntur, ut medium teneant locum inter continuitatem morborum acutorum, et intermissionem chronicorum. Earum remissiones eveniunt, quia occupant systema quod (sicuti est nervosum) agit motibus interruptis.

3. Febres intermittentes directe adficiunt nervosum systema. Affectiones hujusce systematis dominantur quoque in affectionibus vascularis, sicuti in morbis nervosis, qui cum ipsis magnam habent analogiam: sic proclivitas harum febrium ad chronicismum non dubia est. Febres videntur differre a charactere acuto, eo quod a continuitate propria affectionum systematis vascularis differunt. Ipsorum cursus pendet ab eadem intermissione, a qua actio nervorum et cerebri pendet: paroxismi recursus periodice insurgunt, sicuti actiones functionum animalium. Intervalla quietis febris motui succedunt, sicuti intervalla somni motui vigiliae. China-China, opium et omnia remedia, quae virtutem specificam in affectiones systematis nervosi habent, pariter agunt in febres intermittentes.

Ab hac triplici ordinis febrium expositione patet

quod continuitas cum charactere acuto propria est febrium, in quibus affectio systematis vascularis existit aut sola, aut primitus et eminenter dominans; quod remissio cum charactere mixto inter acutum et chronicum pertinet ad febres, in quibus affectio systematis vascularis modificatur ab affectione systematis nervosi; tandem quod intermissio cum charactere essentialiter chronico propria est febrium, in quibus affectiones systematis vascularis submittuntur affectioni systematis nervosi, quae maximum exercet influxum in morbum a duobus ipsis systematibus determinatum.

Systema nervosum constantem exhibet dispositionem ad morbos chronicos; talis est forma ordinaria nevralgiae, hypocondriae, hysterismi, melancoliae, maniae, epilessiae, etc. et omnium morborum, in quibus praecipue adficiuntur functiones nervi et cerebri.

Statui chronico morborum favent duae circumstantiae generales, quae cum dispositione peculiari systematis nervosi coincidunt: prima est habitudinum potentia in ordinem et energiam ipsius functionis, eo quod functiones aut augentur, aut imminuuntur juxta earum magis vel minus repetitum exercitium: altera est intermissio periodica operationum et motuum ab ipso systemate executorum, quia motus semper praebent normalem vicissitudinem activitatis et requiei. Hae duae conditiones multiplicant chronicas affectiones vel pro diuturnitate a legibus habitudinis dependente, vel pro renovatione effectionum a legibus periodicitatis producta. Cerebrum et nervi ita cum omnibus corporis partibus nexum habent, ut impossibile fiat sedem statuere et limites affectionibus systematis nervosi. Pleraeque hae affectiones in cerebro existunt, quod eas ad omnes partes communicat, in quas ipsum agit, et quarum actionem idem vicissim experitur. Sed sunt multae, quae limitem habent in nervosis divisio-

nibus, unde organa essentialiora, uti viscera ventris et pectoris, principium sensibilitatis et motus accipiunt.

Affectiones systematis nervosi non semper manifestantur in organis, quae cum ipso systemate directe communicant; nam musculi convulsionibus adficiuntur, viscera abdominalia spasmo, membranae serosae inflammatione; et hoc propter affectionem nervorum et cerebri. Possunt etiam in nervoso systemate symptomata apparere, quae affectionibus variarum partium ipsi extranearum referuntur, vel nullam cum ipso nisi indirectam relationem habentium. Hoc demonstratur dolore, qui in scenam prodit propter vasorum abdominalium obstructionem, etc.

Species febrium morborumque acutorum, in quibus affectio systematis nervosi ostenditur delirio, phrenitide, spasmatibus, convulsionibus, sopore, frequenter dispositionem nervosam relinquunt, quae chronica evadit. Tissot bene observavit, (post febres quas multus sopor sequutus est aut delirium, quaeque videntur adficere principia vis nervosae) memoriae amissionem, sensuum debilitatem, imbecillitatem, hypocondriasim (1). Stoll hoc confirmat suis in observationibus circa statum nervosum, cujus praevalentia cursum naturalem febrium turbat, coctiones impedit, crises difficiles, imperfectas, nullasque reddit, methastases periculosas producit, et sic germen multarum affectionum chronicarum parat.

Structura et proprietates systematis vasorum lymphaticorum characterem chronicum omnibus ipsius affectionibus debent impartiri. Extrema tenuitas horum vasorum, innumerae ipsorum divisiones, virium vitalium inactivitas, status obscurus sensibilitatis et contractilitatis, relatio eorum vis absorbentis cum viribus

(1) Tissot Traité des nerfs et de leurs malad.

simpliciter physicis, sicuti relatio actionis capillaris, natura humorum, supra quos agunt, motus horum insensibilis et ipsorum in textu glandularum mora atque adglomeratio: haec omnia cursum morborum systematis lymphatici retardare videntur. Morbi etiam mucosi et catarrhales, in quibus semper systema lymphaticum adficitur, facile formam chronicam adsumunt.

Huxham in descriptione febris lentae nervosae demonstravit, systema nervosum et lymphaticum hac febri praecipue adfici. Ipse cogitat, fluidam lympham degenerare in materiam viscosam, contra quam salivatio naturalis, ulcera vesicatorii evacuationes optimas promovent. Hic morbus, ut auctor observat, lentum cursum agit, convalescentias longas molestasque producit, eumdemque excipiunt frequenter status infirmitatis chronicae, una cum stupore, tumefactione cellulari et glandularum obstructione.

Membranae mucosae nimis cum vasis lymphaticis communicant, ut morbos chronicos non patiantur. Ipsae generaliorem inflammationum lentarum sedem praebent, pariterque fluxorum pertinacium, obstructionum, indurationum, ulcerarum, quae causa sunt aut effectus horum morborum.

Inflammationes membranarum mucosarum protrahuntur et degenerant in inflammationes lentas ob generalem, quam producunt debilitatem, aut propter alterationem, quam in textum ipsarum membranarum adferunt. Tubercula, calositates, fungosae excrescentiae, ulcera, quae irritationem inflammatoriam perpetuam reddunt, fere semper, ut ait Dumas, cum evolutione vasorum lymphaticorum et glandularum conjunguntur.

Hunter expertus est in inflammatione, quam ulcera sequuntur, et quam ille ulcerativam appellat, semper absorptionis motum inesse tam in superficie partium inflammatarum, quam in earum interstitiis. Verum haec

ulcerativa inflammatio praecipue mucosas membranas adficit, et absorptio quae eam sequitur, valde clare systematis lymphatici actionem denotat. Activitas hujusce systematis patefit quoque juxta observationem ejusdem Hunter a celeritate, qua omnes substantiae adplicitae partibus ulcerativa inflammatione correptis absorbentur (1).

Soemmerring in autopsia eorum, qui dyssenteria inflammatoria et ulceribus intestinorum perierant, compertus est vasa lactea humore scatentia, et glandulas mesenterii tumefactas (2).

Sanguinis effusiones ab extremitate vasculari omninum corporis partium pendere possunt; sed haemorrhagiae habituales et chronicae generaliter in membranis mucosis efformantur. Epistaxis, haemopthysis, haematemesis, haemorrhagiae uteri, hoc satis demonstrant. Fluxus materierum mucosarum varie coloratarum, qui harum membranarum proprii sunt, minus sub forma acuta, quam sub forma chronica procedunt. Quum ipsi acuti sint, limitem ordinarium hujusce generis affectionum aeque praetergrediuntur. Observatum fuit, acuta uteri profluvia mucosa ad quadraginta vel sexaginta dies perdurare.

Catarrhi acuti vel chronici in membranis mucosis propriam tenent sedem; vasa capillaria et lymphatica harum membranarum augentur numero et diametro prout status inflammatorius in statum catarrhalem, vel hic ultimus in inflammatorium influit. Si affectio systematis vascularis aeque conformis est affectioni systematis lymphatici, morbus characterem acutum adsumet; sed ipse naturaliter characterem chronicum habebit, si affectio systematis lymphatici augetur et dominationem singularem assumit. Grant expertus est, catarrhos sin

(1) Hunter, Traité du sang. et de l' infl. III. 163.
(2) Soemmerring de morbis vasorum absorbentium 35.

gulis annis renovari, cursum lentum accipere et in phthisim insanabilem degenerare, nisi in primis harum affectionum aggressionibus motus febrilis satis intensus ut prorsus omnes morbosas secretas materies expelleret, fuerit exortus. Broussais multas aegrorum catarrhis demortuorum autopsias instituit, et semper principia tuberculorum, aut parva grana tubercularia vasis lymphaticis relativa, glandulas mesenterii volumine auctas, vasa lymphatica degenerata et materie caseosa referta compertus est. Soemmerring jam demonstraverat obstructionem glandularum, atque obliterationem vasorum lymphaticorum in catarrhis protractis.

Textus membranarum mucosarum variis alterationum generibus capax est, quae earum propria sunt, quaeque peculiaribus speciebus morborum chronicorum submittuntur. Obstructiones atque induramenta scirrhosa hujusce generis affectionum communissima sunt; hinc derivantur vel tumores, vel excrescentiae, restrictiones in ductibus atque in cavitatibus, quas membranae ipsae tegunt. Hae membranae, praesertim intestinorum, interdum parvis tuberculis duris scirrhosis sejunctis, singularibus et similibus obstructionibus tubercularibus viscerum et glandularum implentur.

Dispositio ad ulcera aliam morborum membranarum mucosarum propriorum formam constituit. Parvae exulcerationes superficiales simplices aut tuberculis conglutinatae aphtas efformant, quas minima irritatio producere potest. Tanta praeterea in iisdem textubus ad profundas exulcerationes efformandas locum habet dispositio, ut eos in affectionibus inflammatoriis venereis, strumosis, ulcerosis destruere valeat.

Inter mucosas membranas et pellem existunt proprietatum et functionum analogiae, quae unam et alteras iisdem fere legibus submittere debent tam in statu salutis quam morbi. Dissertatio de petechiis a Strackio in

lucem edita curiosa observatione earum relationem nec non earum mutuas adfinitates confirmat.

Eruptio petechialis, ex hujus auctoris effatis, in iis praecipue apparebat, qui nunquam dyssenteria laboraverant. Nemo eorum, qui hunc morbum praecedentibus annis experti fuerant, petechiis subjectus fuit.

Interim membranae mucosae intestinorum videntur hoc in casu in organum cutaneum majori vi influere, quam organum cutaneum in membranas non influit; eo quod petechiae non excipiebant dyssenteriam, quae multis in individuis apparuit, quamvis petechialis eruptio simul apparuerit (1).

Vasa lymphatica absorbentia, quae magno in numero sub cute sparsa sunt, efficiunt pariter ut isti morbi chronici, sicuti morbi membranarum mucosarum, determinentur. Admitti possunt juxta Cirillum celeberr. Med. Neapolis, duae affectiones quidem distinctae, quae variolas constituunt; una, naturae mucosae et systematis lymphatici propria, est primitiva adfectio; altera, naturae inflammatoriae a systemate vasculari pendens, ad moderandam dispositionem mucosam optime inservit. Nisi systematis arteriosi actio satis viva sit, ut crisim intensitati morbi lymphatici respondentem producat, hic morbus solus remanet, talesque fortuitas sequelas gignit, quae ut plurimum characterem chronicum tumorum, et obstructionum adsumunt.

Cutis relationes omnibus cum partibus servat, quarum ipsa commune involucrum efformat. Relationes istae eam multis affectionibus submittit, quas aliorum organorum influxus statuit. Ab hoc pendent pustulae, eruptiones, maculae, ulcera cutis, quae nonnullis in morbis viscerum pectoris et abdominis observantur.

(1) Strack Obs. de morb. cum petech. 1776. 8.° 77. Tom. II.

Nervi, arteriae, venae, vasa lymphatica, glandulae eam illarum partium perturbationum, proprietatum vitalium nec non functionum participem reddunt. Debilitas, sive exaltatio sensibilitatis in superficie corporis nervorum laesionem denotat. Inflammationes lentae, sanguinis congestiones et haemorrhagiae, quae in partibus externis limitem habent, arteriarum et venarum laesionem demonstrant.

Fluxus serosi, obstructiones mucosae, eruptiones, quas sequuntur tubercula sive ulcera, tumores carnosi et fungosi, qui diversas systematis cutanei partes praeseferunt, vasorum lymphaticorum et glandularum laesionem indicant.

Cutis ad quosdam morbos chronicos ob quantitatem et ejus functionum naturam disposita quidem est. Humores serosi, lymphatici, mucosi, quorum exhalatio per ipsam fit, in textu cutaneo colligi possunt, et principium pustularum praebere, tumorum, crustarum, excrescentiarum, vegetationum, quae sub integumentis magis minusve pro majori vel minori morbi, et reactionis vitalis vi elevantur. Tumores hi efficiunt, ut diversae scabiei, herpetis, leprae species deriventur, in quibus fere semper degeneratio lymphatica et mucosa invenitur. Perspiratio cutanea continuo materies eterogeneas et noxias emittit, quae per cutem transeuntes irritationem et inflammationem aliquot morborum eruptivorum proprias excitant.

Organum cutaneum natura sua immediate corporum externorum contactui expositum est, nec non introductioni morborum specificorum contagiosorum, qui eorum praecipuam actionem in membranis mucosis et in cute exercent. Affinitas, quae inter textum cutaneum et morbos specificos non contagiosos intercedit, in causa est cur hic textus saepe saepius scrophulis, cancro, herpete et degenerationibus peculiaribus bilis,

lymphae, serositatis, fluidorum mucosorum, lactis, et pinguedinis frequenter adficiatur.

Cutis compositio varie adfecta non amplius propriam firmitatem, formam, texturam, colorem praebet, ipsa vitiis et omnigenis degenerationibus subjicitur, quae veluti characteres essentiales totidem morborum cutaneorum distinctorum consideratae sunt, sed quae minime reapse ex essentialibus causis horum morborum habendae sunt. Dispositio anatomica partium organum cutaneum constituentium favet hisce textus alterationibus, quarum historia et descriptio cognitionem principiorum, ex quibus earum efformatio pendet, minime docere possent.

Cutanei morbi ortum ducunt multis ex elementis variabilibus, quorum impossibile est essentialiora sive characteribus constantibus, sive determinatis figuris indicare. Etiamsi firmitas, forma, color, atque aliae qualitates sensibiles integumentorum alterationem textus ad omnium supradictorum morborum evolutionem inservientis manifestare possint, tamen ipsae naturam atque influxum omnium elementarium affectionum alterationem ipsam componentium eamque saepissime determinantium minime patefacerent. Siquidem indicia necessaria ad aestimandam tum actionem principii specifici in partem affectam et in totum systema; tum alterationem generalem solidorum et fluidorum; nec non statum irritationis, et debilitatis dominantis intensitatem et directionem specialem motus fluxionarii; restrictionem aut dilatationem organi cutanei et ipsius vasorum a solo integumentorum superficiali adspectu eruuntur. Characteres relativi hisce chronicis affectionibus plus minusve distinctis in cutis morbis, nostris effugiunt sensibus. Attentio vero et criterium ipsos detegunt.

Quamvis textus cellularis et membranae serosae ge-

neratim loquendo parum ad morbos chronicos dispositae sint, tamen aliquando morbis chronicis adficiuntur peculiari modo. Hinc evenit ut diversae hydropum species efformentur, in quibus vasa lymphatica, absorbentia praecipuae causae sunt.

Mascagni injecit vasa lymphatica multorum hydrope peritorum, et has nobis debit observationes generales. Vasa hujusmodis dilatata erant et repleta humore simili illi, qui in magnis cavitatibus continebatur; eorum trunci videbantur valde distenti. Ob augmentum diametri in ramis majoribus valvulae impares erant ad impediendum regressum fluidorum injectorum. Vasa lymphatica et textus cellularis glandularum eamdem offerebant dilatationem. Hae glandulae saepius ita obstructae erant, ut hydrargyrium vi injectum quin pertransiret vasa, tunicas laceraret (1). Soemmerring compertus est plerumque in hydropicis tumefactionem glandularum una cum dilatatione vasorum absorbentium. Glandulae inguinales fere semper obstructae sunt in oedemate extremitatum inferiorum. Vasa absorbentia, quae ab ovario ad glandulas lumbares se conferunt, dilatata et inter se sejuncta sunt in hydrope horum organorum, ut testatur ipse Soemmerring (2).

Morbi organorum compositorum efficacia quadam activitati eorum virium vitalium et complicato textui respondente evolvuntur. Viscera abdominis, glandulae conglomeratae et organa parenchimatosa, dispositionem ad morbos chronicos habent, cui eorum structura eorumque proprietates favent. Hepar, splen, pancreas, renes eminenter expositi sunt propter eorum texturam, nec non eorum functiones obstructionibus, aliisque ejusmodi degenerationibus. Ipsa inflammatio acuta

(1) Mascagni Vas. lymphat. histor. fol. 20.
(2) Soemmerring Op. cit.

quemdam assumit characterem obscurum et lentum. Affectiones chronicae systematis nervosi, vasculare-sanguinei, et vasculare-lymphatici, membranarum serosarum et mucosarum propriae illis visceribus communes sunt; eo quod horum textus atque parenchima magna ex parte a variis illis systematibus efformantur.

Influxus et reactio praeterea organorum compositorum in alia systemata, quae cum ipsis vel sympathice, vel functionum ope junguntur, multos chronicos morbos excitare possunt. Hypocondria et melancholia ad systema nervosum pertinent, sed ipsae a laesione in visceribus abdominalibus sita generaliter pendent, unde nervosi systematis affectio, et symptomata hypocondriae et melancholiae propria. Organa sexualia eamdem ac abdominalia habent ad chronicos morbos dispositionem. In horum organorum alterationibus diversos status irritationis, debilitatis, spasmatis, athoniae, obstructionis constituentibus, cerebrum quoque et nervi morbose in consensum trahuntur, et phaenomena hysterismi prodeunt.

Musculare systema suapte natura paucis corripitur morbis. Ipsum, sicuti omnes partes viventes, inflammationibus, quae raro sub forma chronica extant, subjectum est. Affectiones rheumaticae musculos praecipue, aponeuroses, tendines afficiunt. Musculi colli, dorsi, lumborum atque extremitatum, uti etiam eorum expansiones tendinosae, praesertim dispositae sunt ad istas affectiones, quarum causae occasionales in ipsas immediate agunt.

Alii morbi chronici systematis muscularis ipsi proveniunt potius indirecte. Ejusmodi sunt convulsiones, in quibus systema nervosum actionem in

musculos nimis sensibilem exercet, et affectiones paralyticae, in quibus ista actio penitus abolita videtur.

Musculorum textus non subjicitur istis alterationibus considerabilibus et variis, quae frequenter diuturnos morbos, rebelles et saepius incurabiles producunt, sed cum ipsa alterationes aut vitia in propria structura raro admodum patiatur, sequitur ut ad morbos chronicos dispositio in ipso fere minima sit.

Vires et actio vitalis parum influunt in ossa et eorum membranas. Veteres anatomici admittebant haec organa ad materiem inorganicam accedere, atque medium tenere intra corpora organica et inorganica locum. Sensibilitas obscura cartilaginum et ligamentorum non aeque fert actionem vitalem nisi in gradu debillimo. Haec dispositio physiologica partes osseas ligamentosas et cartilagineas valde ad morbos chronicos subjectas reddere debet. Tali pacto earum affectiones generales fere omnes characterem chronicum praeseferunt. Raro evenit quod morbi acuti eas afficiant. Diversae febrium species deinceps influunt in varia organa, veluti in cerebrum, in nervos, in cor, in arterias, in venas, in pulmones, in vasa lymphatica, in glandulas, in viscera abdominalia, in musculos, quin ullo modo afficiant ligamenta, cartilagines, ossa.

Morbi acuti characteres suos in aliis organorum systematibus servant et cito illos amittunt in organis osseis, cartilaginosis et ligamentosis, in quibus eaedem affectiones in morbos chronicos mutantur. Inflammatio, verbi gratia, fere nunquam acuta est; cognoscitur ex proprio lento cursu, ex propriis obscuris phaenomenis, atque ex exitu resolutioneque difficili. Parvum temporis spatium ne-

cessarium est, ut gangraena efformetur, quum e contra longum tempus occurrat ut caries, et necrosis producantur.

Principia specifica morborum acutorum contagiosorum cartilagines atque ossa minime adficiunt, quibus morbosi nihil ex variolis, ex morbillis, peste etc. manat. E contra summopere adficiuntur a causis specificis morborum chronicorum venereorum, scrophulosorum, etc. Adficiuntur vero majori cum gravitate et constantia, quando hi morbi ex longo tempore existunt, et quando character chronicus dominatur propter eorum antiquitatem.

Morbi acuti necessario producunt affectiones chronicas in partibus osseis, et cartilagineis, in quas earum principia aut earum effectus reflectuntur. Retropulsio variolarum, morbillorum, puris, tempore, quo efformantur ossa, juxta Oettinger est causa potissima rachitidis.

Verum etsi morbi ad characterem chronicum in systematibus efformatis ex ligamentis, cartilaginibus, ossibus tendant, tamen id rarius evenit quam in aliis organorum systematibus, in quibus morbos acutos jam communes frequenter sequuntur affectiones chronicae. Inertia enim eorum virium vitalium, atque eorum textus soliditas duplex opponunt morborum chronicorum evolutioni impedimentnm.

II. Affectiones essentiales, quae morborum chronicorum elementa aut principia sunt, efformantur aut perdurant in diversis organis atque in eorum relativis systematibus propter minorem vel majorem, quam ipsa habent cum iis affinitatem. Characteres harum affectionum essentialium cum dispositionibus organorum peculiaribus juncti, numerum et varietatem phaenomenorum determinant;

unde diversae morborum species exoriuntur; atque ad alterationes tam directas, quam indirectas systematum partium adfectarum, et ad influxum, quem hae primitivae alterationes sive in alias partes, sive in alia systemata, sive in corpus totum exercent, referuntur.

Proprietas atque actio vitales in diversis organorum systematibus immutari possunt, et principia essentialia communissimarum eorum affectionum tali pacto efformare. Dolor, spasmatonicum, anestesis, athonia, status convulsionis consociantur alterationibus sensibilitatis et contractilitatis, quae a viribus atque actione systematis nervosi dependent. Igitur affectiones istae simplices generaliter ad hoc systema pertinent, ex quo praecipue elementa morborum nervosorum derivantur. Irritatio inflammatoria, adinamica, febris alterationibus irritabilitatis respondent. Vasculare systema cujus vires et actio irritabilitatem ipsam servant, est sedes immediata affectionum istarum, a quibus multorum morborum chronicorum elementa constituuntur. Excessus, defectus et vitia absorptionis ex alterationibus vis in systemate lymphatico dominantis proveniunt, cui systemati affectiones elementares, de quibus agimus, praecipue junguntur.

Tria supradicta systemata formationi omnium corporis humani organorum inserviunt. Nervi, arteriae, venae, vasa capillaria, lymphatica inter partes communiores eorum textuum recensentur. Necessaria hinc est organorum partiumque omnium communicatio. Caeterum organa sive sejunctim existant, sive systema aliquod afficiant, sicuti textus cellularis, membranae serosae et mucosae, musculi, viscera, cartilagines, ossa, ut jam supra

diximus, affectionibus systematis nervosi, vascularis, lymphatici propriis, prout haec systemata plus minusve in eorum compositione dominantur, plus minusve subjiciuntur.

In omnibus corporis partibus insunt sanguis et humores eorum usui atque eorum functionibus inservientes. Si horum fluidorum productio magna vel nimis parva sit, sicuti in plethora sanguinea, aut in anemia, affectiones essentiales oriuntur in iis partibus atque in systematibus, quae nimis fluidis ipsis vel carent vel scatent. Alterationes quamplurimum variae textus organorum principia statuunt multarum affectionum, quae in his efformantur, quaeque multos chronicos morbos plerumque incurabiles determinant. Ipsae producunt multas variasque alterationes in statu physico atque in dispositione anatomica horum organorum. Viscera, glandulae, membranae mucosae, cartilagines, ossa praecipue has profundas variasque degenerationes sentiunt.

In affectionibus specificis rheumatismi, podagrae, scrophularum his adsunt adfinitates quaedam, quae causa sunt earum actionis in haec vel illa organorum systemata: e contra aliae habentur affectiones, quae minoris intensitatis quidem sunt, sed ad productionem aliquot phaenomenorum distinctorum inserviunt. Primo in casu sedes et praecipui effectus morborum determinantur; in secundo eorum tantummodo forma modificatur.

Affectio rheumatica profecto cum musculis, aponeurosibus et tendinibus multam habet affinitatem: podagrae principium in ligamentis, in capitibus articulationum, in periostio, atque in ossium extremitatibus praecipue deponitur. Verum utraque harum affectionum affinitatem habent minorem

cum nervis, vasis sanguineis, lymphaticis et visceribus Exinde fit quod phaenomena rheumatismi immediata phaenomenis essentialibus doloris, inflammationis, obstructionis. fluxionis nec non multorum morborum internorum rheumaticorum, quae cerebrum, pulmones, stomachum, intestina, etc. adficiunt, consociari debeant.

Affectiones scrophulosae et venereae intensiori activitate agunt in systema lymphaticum, in glandulas, in membranas mucosas atque in organum cutaneum. Proclivitas, quam ipsae habent ad sedem ponendam in hisce organis, statuit inter illas characteres communes, qui majorem vel minorem similitudinem eorum symptomatibus generalibus tribuunt. Verum ipsae saepe actione sua nervos, vasa, musculos, viscera, cartilagines, ossa comprehendunt. Dolor, inflammatio, febris, convulsiones, paralysis, congestiones internae, obstructiones, exostoses, caries ex hac irradiatione producuntur.

Procul dubio potens affinitas intercedit inter affectionem cancerosam et organa generationis, membranas mucosas, cutem, glandulas, textum cellularem; eo quod mammae, uterus, testes, penis, labia, nasus, intestinum rectum, glandulae tyroideae et maxillares saepius cancro adficiuntur. Sed dolor, irritatio, haemorrhagiae, congestiones sanguineae, varices, obstructio, exulceratio, quae differentes hujusce morbi species comitantur, ejus affinitates et relationes cum systematibus nervoso, vasculari et lymphatico denotant. Effectus affectionis cancerosae, qui in hepare, in splene atque in aliquot aliis visceribus observati sunt, affinitatem hujus morbi cum his visceribus fortiter indicant.

Morborum discrimina in diversis systematibus

organorum referuntur ad naturam, numerum et conjunctionem affectionum elementarium ea componentium, et quarum influxus est effectus diversarum affinitatum, quas cum organis et systematibus magis minusve earum actionis capacibus ipsae tenent.

III. Partes et organorum systemata, in quibus praecipue chronici morbi efformantur, eorum quoque modificationi inserviunt, quum phaenomena secundaria aut symptomata ex earum structura earumque functionibus derivantia affectionibus essentialibus principia et elementa morborum, de quibus agimus, constituentibus addant.

Duae symptomatum species agnoscuntur: alia ex organo immediate adfecto proficiscuntur; alia vero ex aliquo differenti organo. Haec ultima locum habet praesertim in sympathiis multorum organorum ob mutuam affectionum, quibus crucientur, affinitatem.

Haec phaenomena sympathica morbo primitivo submittuntur et videntur reproductio continuata symptomatum illi propriorum. Ipsa easdem ac morbus subeunt mutationes, easdemque variationes. Tali pacto sopor, dolor, vertigines, convulsiones, etc. ex affectionibus relativis stomachi, sive uteri derivantes, immutantur atque effugiunt una cum ipsis.

Morbi acuti facile propriam actionem in multa systemata eodem tempore extenduut: saepe autem difficile est dignoscere quaenam symptomata in hoc vel illo ex systematibus, quibus affectio praecipue communicatur, locum habeant.

Febres continuae remittentes catarrhales, gastricae, putridae, malignae, etc. ob laesionem systematis vascularis manifestam facile distinguuntur.

Verum efformantur pariter alterationes magis minusve graves systematum nervosi et lymphatici, membranarum mucosarum, organorum digerentium, etc. juxta morbi speciem et naturam.

Inflammationes aut phlegmasiae constituunt affectiones essentiales systematis vascularis; at dolor et fluxio in principio horum morborum dominantes systematis nervosi et textus cellularis morbum denotant. Resolutio, obstructio et induramentum, quae earum exitum frequenter constituunt, systematis lymphatici affectioni tribuenda.

Haemorrhagiae activae originem habent a diversis parvorum vasorum ad systema vasculare sanguineum pertinentium ordinibus; sed ipsae generaliter adficiunt membranas mucosas, in quibus aperiuntur extremitates vasculares. Ipsae interdum etiam possnnt sanguinis effusiones producere in textu cellulari, in musculis, in glandulis, in visceribus, et persaepe debentur dispositioni peculiari systematis nervosi; quod in causa est ut sanguis ex propriis vasis effluat.

Catarrhi et fluidi serosi propriam actionem praecipue exercent in membranas atque in systema lymphaticum, sed febris et irritatio inflammatoria, quae iis majori vel minori intensitate junguntur, inter affectiones systematis vascularis proprias recensentur. Dolor, vigilia, delirium, sensuum alteratio affectiones systematis nervosi proprias constituunt.

Quamvis morbi chronici in organis atque in peculiaribus systematibus, quae ipsi occupant, majoribus circumscribantur limitibus, tamen raro evenit ut affectiones unius organis, atque systematis satis separatae atque distinctae sint. Eorum symptomata non tantum tribuenda sunt affectionibus

primitivis, quas ipsi producunt in partibus immediate adfectis, verum etiam effectibus secundariis, qui ad alias partes, saepe remotas, extenduntur, quibuscum ordinaria horum morborum sedes communicationes habituales et relationes necessarias habet.

Nevralgiae, hypochondriasis, hysterismus, alienationes mentales, convulsiones, paralyses afficiunt praecipue proprietates et functiones systematis nervosis. Verum non inveniuntur organa neque systemata, quae earum effectus non sentiant, quaeque indirecte productioni eorum symptomatum non inserviant.

Morbi chronici non separatim adficiunt systema vasculare sanguineum. Quaelibet actio directa horum morborum in vasa atque in cor, quamvis parum viva sit, motus excitat arteriosum, circulationem adauget, et febrim producit. Status autem febrilis, quum morborum acutorum praecipuus character sit, idcirco opponitur cursui affectionum chronicarum. Febres lentae simplices, in quibus affectio peculiaris systematis vascularis protrahitur, rarissimae sunt, nec diu hanc simplicitatem servant.

Vires vitales systematis vascularis semper debilitantur, sive profunde alterantur in morbis praeseferentibus formam chronicam, veluti haemorrhagiae passivae, haemorrhoides, congestiones sanguineae, scorbutus, etc. Textus vasorum et cordis alterationes organicas subire potest, quibus referuntur causae permanentes multorum morborum diuturnorum et saepius incurabilium, qui exclusive adficiunt hoc systema siculi aneurismata, polypi, degenerationes tunicarum vascularium, ossificationes valvularum, etc.

Systema lymphaticum illud esse videtur, in quo

morbi chronici diutius independentes et separati remanent. Attamen ipsi maxime dispositi sunt ad propriam actionem ferendam in membranas mucosas, in cutem, in viscera atque in glandulas. Hoc denotant differentes species catarrhorum, obstructionum, tumorum, hydropum, herpetis, scrophularum, variolarum, in quibus affectio specialis semper dominans et interdum unius systematis lymphatici propria haud dubia est.

Omnes morbi chronici, ii quoque qui melius limites servant suos, eos praetergrediuntur prout longior eorum duratio; ipsi sensim sensimque extenduntur et denique ita omnia systemata invadunt, ut omnes organizationis partes eorum effectus in ultimis temporibus sentiant.

Ex eorum extensione progressiva magnus oritur numerus symptomatum complicatorum, quorum differentes series affectionibus cujusque systematis determinatis respondent. Fere semper animadvertitur finem horum morborum producere in systemate nervoso dolorem, perturbationes sensibilitatis et convulsiones; in systemate vasculari sanguineo statum scorbuticum haemorrhagias passivas, febrim lentam et syncopes; in systemate autem lymphatico vitia absorptionis, lymphae densationem, diversa fluxus genera, obstructiones et tumores; in textu cellulari et in membranis serosis hydropes, inflationes et saepe e contra cutis ariditatem et maciem corporis; in musculis lassitudines, paralysim; in membranis mucosis et in cute, maculas lividas, eruptiones, aphtas, ulcera atque induramenta scirrhosa; in visceribus tandem internis difficultatem respirationis, dyspepsias, inertiam functionum digerentium, deffectus aut vitia omnium secretionum.

THESES DEFENDENDAE

I.

Non omnes morbi inflammatorii venae sectionibus curantur.

II.

Duplex est purgantium effectus, primarius et secundarius.

III.

Venae sectio ubi indicata sit, quo amplior, eo magis indicationibus respondet.

IV.

Natura absque medicina plurimos morbos sanare solet: medicina autem sine auxilio naturae nihil potest.

V.

Cateracta tantum a chirurgico cultro remedium radicale dignoscit.

VI.

Quampaucis remediis curantur morbi, quampluries vitam tollit remediorum farrago.

VII.

Ægrorum terror atque animi dejectio saepe causa sunt infausti exitus morbi.

VIII.

Phthisis vera confirmata a quocumque remedio insanabilis est.

IX.

Clima temperatum vim majorem hominibus impertit et animi et corporis.

X.

Numquam morbi crises perturbandae sunt.

XI.

Fides aegrorum erga medicum multum valet ad exitum felicem morborum.

XII.

Infausti exitus morborum saepius ab errore diagnoseos pendent.